



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Rationes Aureoli, & Nominalium, quibus prædicta sententia probari solet.  
cap. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)



Antistod.  
S. Thom.  
Ferrar.  
Magist.

Bonaent.  
Aegid.  
Ricardus.  
Gregor.  
Capreol.  
Gabriel.  
Maior.  
Marfil.  
Scotus.  
Holcot.

dorenſis lib. 2. ſum. tract. 2. c. 7. q. 1. S. Thom. in hoc artic. ad 5. Caiet. & recentiores ibidem, Ferrar. 4. contra gentes cap. 95. & videntur conſentire Magiſter in 2. d. 7. cap. Nunc ergo: ubi inquit, Mali angeli ita ſunt in vitiis obdurati, vt bene viuere nequeant. Eandem ſententiam amplectuntur Scholaſtici eadem diſtincti. S. Thom. q. 1. artic. 2. Bonaent. 1. part. art. q. 2. Aegidius q. 1. artic. 2. Ricardus art. 2. q. 2. Gregor. q. 1. ar. 2. Capreolus q. 1. artic. 1. conſolu. 2. de obſtinatione demonum, Maior q. 1. conſolu. 5. Marſilius in 2. q. 5. artic. 3. in opinione 4. præſertim in ſolutionibus argum. Scotus in 4. diſtincti. 51. q. 1. 4. 5. Holcot in 2. q. 4. littera RR. tamen non omnes in hanc ſententiam eodem modo conueniant. Antifiodorenſis, S. Thom. in hoc artic. Bonaent. & Marſilius ſolum dicunt demonem nunquam bene operari: quod Scotus non negat, imo probabilius putat: an vti poſſit aliquid bonum morale facere, non diſputant. Cæteri tamen, & idem Sanctus Doctor in 2. loco citato non ſolum aſſerunt demones nunquam bene operari, verum etiam nec poſſe, quamuis diuerſis rationibus adducti id aſſerunt.

## CAPUT II.

Rationes Aureoli & Nominalium, quibus prædicta ſententia probari ſolet.

Aureoli ratio.

POſterior ſententia, quam capite præcedenti probabiliorem eſſe dixi, varijs rationibus probari ſolet. Quarum prima ſit Aureoli, quam præcedenti diſputatione capite ſecundo memoravi, eaque uſus eſt Holcot loco allegato: quia voluntati demonum inſuſus eſt à Deo habitus quidam inclinans neceſſario voluntatem eorum ad male operandum: cuſus quidem rationis mentionem fecerunt Scotus, & Gabriel locis citatis. Cum igitur voluntas neceſſario inclinetur ad malum, quoties aliquid ſecundum virtutem occurrerit, non poterit angelus bene operari. Probat autem Holcot poſſe libertatem angeli omnino impediri impoſita aliqua neceſſitate ex habitu, quia libertas Angeli finita eſt, & per habitum vicioſum quotidie diminui poſteſt, vt docet S. Th. 1. 2. q. 65. ar. 1. & 2. ergo tandem finiri poſteſt: nam omne finitum, ſi continuo diminuat, tandem finietur.

Reijcitur.

Hæc tamen ratio friuola eſt. Primum, quia, vt oſtendi diſp. præcedenti, c. 2. nullus habitus impedire poſteſt libertatem naturam voluntatis. Quod vero adducit Holcot in confirmationem, nullius momenti eſt: vt enim oſtendimus 1. 2. q. 85. art. illo 1. & 2. libertas voluntatis ad bonum, per habitus prauos & vicioſos non minuitur intrinſe: ſed dicitur extrinſece diminui per hoc tantum, quod magis inclinatur ad malum ratione habituum. Hæc autem extrinſeca diminutio, quantumuis excreſcat, nunquam poterit libertatem naturam impedire omnino, & extingueret: cum enim nihil auferat illius, ſed eam tantum diminuat inclinando in oppoſitum, iſtam vero in ſe integram reliquat; nunquam poterit omnino illam auferre, vt ibidem latius oſtendimus: alioquin non ſolum Deus poſſet talem habitum inſundere, qui omnino impediret libertatem, ſed etiam quiſque demon, & homo poſſet, multiplicatis peccatis talem habitum vicioſum ſibi acquirere, vt omnino ſuam libertatem in via impediret, quod

eſt abſurdum. Deinde ſi demoni inſunderetur talis habitus, qui ipſum neceſſario inclinaret ad malum abſque libertate; ſequeretur, nunquam demonem peccare: quia ſine libertate peccatum eſſe nequit. Poſtremo cum talis habitus ſue fundamentum videatur excogitatus, hæc ſola ratione rejiciendus merito videtur.

Secunda ratio ſit Ocam, & Gabrielis, quæ talis eſt. Cum Deus per ſe ſolus producat in voluntate demonis odium Dei, ſine conſuſu voluntatis eius, à quo demon nunquam ceſſare poſteſt, vt præcedenti diſputatione cap. 2. ex eiſdem Doctoribus retulimus, efficitur vt nunquam voluntas demonis poſſit aliquid bonum ex omni circumſtantia operari: nam inter circumſtantias ad bonitatem requiſitas, vna eſt finis.

Hæc tamen ratio eodem modo mihi non placet. Primo quia, vt eo capite notavi, actus odij ſolo Deo produci non poſteſt. Secundo, quia quamuis Deus poſſet odium ſui voluntate angeli producere: ſine fundamento prædicti Doctoris id videretur comminici, vt ibidem dixi.

Tertio, etiam ſi talis actus odij à ſolo Deo produceretur, non ſequeretur neceſſario, omnem actum demonis malum eſſe: nam ſi alij actus non eſſent mali, id eſſet, aut quia careret circumſtantia ultimi finis, nempe Dei dilecti ſuper omnia, vt inquit Gabriel, ſiquidem ſimul non poſteſt Deus odio haberi, & amari: alioquin hac ratione culus actus eſſet malus: nam vt probatur contra Gregorium 1. 2. q. 109. artic. 2. circumſtantia ultimi finis, nempe Dei, non requiritur ad bonitatem moralem actus, cum ſufficiat habere pro obiecto bonum peculiaris virtutis: aut ceteri actus eſſent mali, vt indicat Ocamus, quia inſiceretur actu illo odij Dei: ſed neque hoc modo mali eſſent: tum quia actus ille odij cum eſſet à ſolo Deo, non eſſet actus humanus liber capax peccati, & culpe, ac proinde non poſſet inſicere quemlibet alium actum humanum: actus enim humanus non poſteſt inſicere malitia aliqua voluntatis finis, nili voluntas illa à qua inſicere, ſit actus liber & humanus: tum etiam quia licet odium Dei eſſet actus humanus & peccatum: non tamen repugaret, ſimul cum illo eſſe aliquem actum virtutis morales ex omni circumſtantia bonum: poſteſt enim ſimul voluntati Deus diſplicere, & placere bonum proximi ſui propter ipſum ex miſericordia, tamen non poſſit quis, Deum diligere amore amicitie ſuper omnia, & ſimul contra Dei voluntatem mortaliter peccare.

Ratio vero diſcriminis eſt: quia amor amicitie erga Deum, & amicum talis nature eſt, vt ſecum non patiat aliquid, quod notabiliter eſt contra voluntatem Dei, & amici: præſertim enim amicum eiſque voluntatem omni alteri rei; ac proinde non patitur ſecum mortale peccatum, quod eſt notabilis offenſa Dei, & contra voluntatem eiſus: vero odium Dei non aſſert ſecum neceſſario omne genus peccati, & offenſa contra Deum: quia odium alicuius non eſt deſiderium omnis mali, quod ſit contra voluntatem illius: quare quantum odium Dei non patitur ſecum opus virtutis, quatenus placet Deo, tamen ſimul cum illo eſſe poſteſt opus peculiaris virtutis propter ipſam virtutis honeſtatem ſolum abſque illo ordine ad Deum.

CAP. III.